

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.  
**0113**

**0111**

**0117**

**0107**

**0122**

grinos multos in Jerusalem esse, ad quorum turbationem omnes  
faciliter conspirant et conjurant.

**0102**

Interea cunctis currentibus et se disponentibus vocaverunt  
me domini mei quatuor, cum quibus de patria exivi, scilicet  
dominus Johannes de Zimbern, baro, miles, dominus Ursus  
de Rechberg miles, dn. Heinricus de Stöffel, baro, miles,  
dns. Johannes Truchsas, miles, et ultra omnia bona, quae  
prius ab eis acceperam, hoc addiderunt, et dederunt mihi ali-  
quos non paucos ducatos in subsidium expensarum ad montem  
Synai, et rogaverunt, ut Deum pro ipsis orarem in locis sanctis  
existens et quod loca illa diligenter considerarem et conscri-  
berem. Quibus ego regratiatus fui et uni eorum litteras tra-  
didi deferendas reverendo magistro Ludovico Fuchss ad  
Ulmam, cui scripsi, insinuans ei fortunam meam per omnia  
desiderabilem etc. Et his peractis adjuvi servos dominorum  
meorum eportare ad asinos res eorum. Porro aliqui milites  
recessuri erant valde infirmi, ita, quod non poterant in asinis  
sedere, et pro illis fuerunt adducti cameli cum sportis magnis,  
ab utroque latere dependentibus, in quibus sportis fuerunt  
infirmi ad mare ducti, unus vero juvenis peregrinus adeo in-  
firmus fuit, quod nec in asino nec in sporta deportari valuit,  
et illum post se reliquerunt, qui statim post eorum recessum  
obiit et in coemeterio fratrum montis Syon sepultus fuit. Igitur  
cum cuncti parati asinos adscendissent et recedere inciperent,  
multi flebant propter affectum ad loca saneta, a quibus invite  
recedebant. Alii vero flebant propter separationem a suis  
sociis et fratribus, quos post se relinquebant, inter quos erant  
domini mei et aliqui de servis dominorum meorum, qui vi-  
dentes me flentem se continere non poterant, sed mecum  
flebant. Magnam enim cordis amaritudinem habui in separa-  
tione a benignissimis dominis meis, quia non fuerant mihi  
domini, sed jocundi socii et fratres. Magis autem flevi cala-  
mitatem eorum, quam suspicabar eis superventuram per mare,  
quam meam propriam derelictionem et miseriam, quam passurus  
eram per vastissimam solitudinem et per mare in hiemali  
navigatione, quae semper periculis plena sunt. Recordabar  
enim miseriarum et calamitatum, quas in prima mea peregrina-  
tione in redditu habuerunt peregrini, ut patet fol. 16 per

**0162**

**0062**

**0212**

**0012**

**0612**

**1112**

**Ende**

**Anfang**

